

**Epicedium in obitum ... dn.
Johannis Cortes
Ostrobothniensis studiosi
quond...**

Rosendalius, Olaus E.,

1 Ic Fol.



National Library
of Sweden

158
9

E P I C E D I U M

In.

Obitum Præmaturum & Luctuosum

Ornatissimi optimæq; spei Adolescentis,

DN. JOHANNIS Cortes
OSTROBOTHNIENSIS


Studiosi quondam Uplandiensis laudatissimi,

Viri spectabilis et consultissimi

DN. HENRICI Cortes

Consulis in Barhestad / filij longe charissimi.

Qui 20. Junij Anni 1672 in Nääs / quæ parœcia est Uplandia, placide in Christo obdormivit, postquam 17. circiter absolvisset annos. Ejusq; exuviae ibidem solenni pompa ac ritu Anno sequenti die 13. Februarij, gremio terra sunt demandatæ.



Stregnesiæ, Typis Brockeniorum,
Impressit ZACHARIAS Asp.



1672



Fragiles rerum humanarum vices esse, brevesque prorsus, vel ipsa experientia cunctos mortalitatis candidatos magistra docebit. Quid enim vitâ hâc fluxâ inconstantius? quid brevius? quid tristius? Omnia sub ipso Cœlo mille ærumnis reperiuntur subjecta, omnia lubrica! omnia vana! Quis secretâ secum pensitans cogitatione, perelegantis ingenii, & mollissimæ suavitatis Poëta, haud dubitavit ist hanc talem hâc de re exprimere sententiam.

Nostris nihil est velocius annis.

Quâ sententiâ non minus verâ quam pulchrâ, jubere nos voluit, admirabilem vitæ nostræ brevitatem, fatorumque juxta acerbitatem paulo altius intueri, & docere nos, nihil in hisce terris perennitatis gaudere privilegio. Vitâ enim humana instar navis est, quæ ex æstantis freti fluctibus huc illucque agitata, modo eminent, modo superfusus aquis conditur. nec fortuna simpliciter unquam indulget! Vita humana multiplicibus fortune subjacet ludibriis, & variis concutitur curis, laboribusque! Cum in lucem hujus mundi primum edimur, os nostrum cum fletu aperimus. Cum vivimus, cum morbis conflictamur. Adhuc, in omni vitæ spatio altis cordis suspiriis, varioque animi dolore premimur. Quinetiam turbulentis periculorum æstibus jactamur sæpiuscule. Ad ultimum verò, cum fata itâ ferant Divina, animam cœlestem Cœlo reddimus, & in prima nostra resolvimur initia, exhaustis omnibus per adversam valetudinem corporis viribus. Mors, ob peccati venenum, quo infecti sumus, lex est fati humani, sed piis opima merces! sic ævo nihil brevius! sic arte nihil perrennius! sic morte nihil fortius! Ut enim purpurei coloris flos, citò è terrâ surgit, pulcherrimisque foliis viret, vehementiâ turbinis prosternitur, peritque; itâ etiam homo, qui citò nascitur, & paulisper floret, rebus humanis citò eripitur. Ut candela accensa flatu repente expirat; itâ etiam hominis vitâ celeriter accensa, celeriter extinguatur. Utque fumus, nubes, nebula vento leviter disjiciuntur & dissolvuntur; ita etiam homo morte levi momento dissolvitur. Sic Davidis ex Bathsebâ filius in ipsâ statim infantiâ extinctus est. Sic Absolon in eximio ætatis flore, roboreque, funesta calamitati succubuit. Et sic plures alios immatura sæpe Mors occupat, amputatque. Juvenem, ut alia nunc exempta silentio involvam, cum dixit, eriditionis præstantiâ, morum amabilitate, vitæque honestate politissimum, Dn. JOHANNEM CORNÆ immatura quidem, sed honesta mors, haud itâ pridem prostravit. Consularis hic dignitatis oriundus parentibus BRAHESTADII, Auspice Deo, & maturo parentum consensu, cum fratribus germanis, in illustria, quæ ad Salam habentur, Musarum castra, missus est, locupletiora virtutibus

virtutum incrementa sumpturus. Neq̄ frustra. Ut enim optimo-
rum parentum optimus fuit filius, ita etiam diu timore Domini omnes
nervos atatis industriaq̄ eò intendebat, ut virtuti se uni devoveret, &
singulari quodam coelestis gratia ornamento olim commendabilis eva-
deret, in animum semper demittens, conscientia tranquillitate, nihil in
hâc mortali statione, excogitari, haberive posse beatius. Quae sancta
Spes, & pia ambitio, ipsum non fefellissent, si fata paululum expecta-
re valuissent, nec alios ipsius vestigia virtutum prementes in poste-
rum fallent. Sed ô rerum humanarum vicissitudinem! ô fatorum
in secreto consilium! Ut vestra, ô fata divina, sors inevitabilis est; ita
nemo sibi fata disponit. Hunc egregium Juvenem, summus ille re-
rum arbiter, qui cuncta pro optimo beneplacito suo gubernat, luteo hoc
tabernaculo eripuit, & in angusta Coelorum Palatia, gemmis & multo
ebore distincta in tempore evertit. Ubi is jam voti sui compos, hoc est,
omnibus numeris felix est, beatusq̄, pretiosissimos coelestium bonorum
thesauros, tanquam inexhaustum, & ineffabile copia cornu, admiratur,
iisdemq̄, sine fine letabundus fruitur. Ideoq̄ eum demum felicem
fuisse judicamus, cui & accipere lucem prosperè, & reddere pla-
cidè contigit, inquit Valer. Maximus cap. 12. de mortib. non vul-
garibus. Unde non ineleganter Poëta:

Stant sua cuiq̄ dies: breve & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ; sed famam extendere factis
Hoc virtutis opus.

Demus nos operam, ut accuratum & perspectam satis vitæ no-
stræ rationem habere possimus, & annos nostros non ætatis, sed gloriæ
spatio metiri. Hodie Hodie mortalitatem nostram recordemur quia
fugit nos planè, quid serus vesper vehat. Sic fiet, ut omnis anima sue
consulens, annorum laudisq̄ satur, satis & diu vivat, cum in Christo
bene vivat, & olim, cum supremo Numini ita placuerit, in æterna cœ-
lorum tabernacula concedat, novos cœlos, novamq̄ terram longè clario-
ribus oculis usurpaturus.

Cum marmoreum non possem piis Manibus Defuncti,
hoc qualecumq̄ monumentum sacrayi

O. Rosendalius,

Mors sua scepterum tenet vasti per climata mundi,
Omnia sub leges & vocat atra suas.
Talis ubiq̄ manet; fragilis post tempora lucis
Reddentur Matri corpora nostra suæ.
Ut flos vix potis est vehementi obistere vento,
Labitur & verna florida Crista rosa:
Sic venit ad metam quicquid succrescit in orbe,
Quicquid & est reliquum pallida Parca rapit.
Transit homo velut umbra citò, ceu bulla refugit,
Ros perit, unda fluit, cætera fluxa cadunt,
Quod fieri nostras docet experientim mentes:
Jannes Corste enim comprobat hoc è sue

Ex

Exemplo, qui, ceu rosa gratum spargit odorem,
 Hic egit vita tempora læta sua.
 At, ut mane viret, tandem cum vespere sero
 Flætescit flos, & flora recisa cadit;
 Sic ejus Lachesis vitam demissa securi
 Abstulit in vegeto curriculi stadio.
 Deploro lacrymis vernantis damna juventæ,
 Atq; simul mentis dona perisse gemo,
 Et lugere scio tam mœsto funere Patrem,
 Quod gnatum eximia videret esse spei.
 Et meritò luget subito quod tempore cessit,
 Migrando è terris coelica regna petens.
 Sed dolor, hic animo infixus sedatur acerbus,
 Cum quis perpendit sic placuisse Deo,
 Qui dedit, qui rapuit, quiq; est moderator olympi;
 Nos decet ut placide mente sequamur cum.
 Lenit & hoc curas omnem relevatq; dolorem,
 Quod Jannes vivit perfruiturq; bonis
 Aeternis, cum pace bona & mera gaudia sentit,
 Jam sedem supera lætis in arce tenens.

Ita olim Discipulo suo dilecto fundebat

PETRUS Nycander

Den Ungling är iagh / som har ringa ting försarit
 Men vthi Darnsligheet måst min förlustan varit;
 Vil och min Ungdom an til seel sig gärna ländta
 Men Verldens Tyranni wil annat migh inskiänka.
 Iagh tänchte Verlden all är ijdel Speel och seel.
 Och kunde ey förstå des mæghanda sweet.
 Men när iagh öfwer seer min förra Tijdh och denna
 Som nu för handen är så må iagh wäl bekänna;
 At säfång är then lust som Verlden medh sigg haar;
 Ty den är samman mängd medh ijdel Sorgh och Dwaal.
 Iagh wil nu gå förbi och intet ther om röra;
 Hwad som min första Åhr migh inond' tilhanda föra;
 Min Moder som migh har burit vnder sitt Bröst
 Non bleeffda saken aff / den Sorgen hände först.
 Strax efter thenna Tijdh mond' Sorgen sigg förmeera
 I thet at samma wagh måst wandrad' aff nåchten seera.
 Men för ett Åhrs förlöpp kom Döden medh en hast
 Dortrychte en min Broor / då öttes Sorgen fast /
 Då öpna des thet Sår / som ike stodh til läkia
 Öppa en kortan Tijdh / som hwar man wäl kan märkia.
 Men hör! hwad tildrogh sigg ther efter ett halff Åhr
 Då bleff min yngre Broor' dödh och nidlagt på bår;
 Och som then förra wärt an stodh i Bröst och Hierta
 Så öttes swedan fast medh mycken Sorg och Smärta
 At iagh måst' brista vth medh sudan mången gång
 Wellaga thenna Dödh och fölla Tårar mång;
 Näst när iagh täncker på wår Studier och öfning
 At wi hwar aman fölgt hafw' i söthör och präfning;
 Medh Broderligh kärleek städze hwar annan mött /
 Och såsom thet sigg bdr' hwar annars bästa sött.
 Han är nu hädan skild / och wäl sullenda't loppet
 Och niuter nu then Frögd som han wente i hoppet.
 Har thenna Verlden wäl medh troone genom gåt
 Och vthaff Herren Gudh en härligh Crono sät.
 Ty önskar iagh nu sidst / Gudh wille of tillsamman
 Förhjelpa innan kort / at glädias hwar medh annan.

Hocce mæsto scripsit animo

JACOBUS Corte defuncti frater.